

370 (Q. 381) De Oblig. dicendi Missas de « Requiem »
solemniter in Ostensorio, sub Throno, extra Orationem XL Horarum seu Adorationem perpetuam, etiam, juxta Schober (S. Alphonsi Liber de Cæremoniis Missæ; Appendix IV. de Missis pro Defunctis, C. I. n. 4), « in omnibus Ecclesiæ Altaribus Missæ de Requiem prohibentur, quia hæc Expositio semper habet aliquam solemnitatem, ut ipse Expositionis modus demonstrat, cui etiam sæpe conjungitur publica causa, et mandatum seu saltem licentia Episcopi. » Consuetudo tamen in variis nostris Ecclesiis viget, ut Missæ de Requiem privatæ celebrentur ad alia Altaria, quando SS. Sacramentum detectum seu publice exponitur per parvum tempus, puta, tempore unius alteriusve Missæ, et causa Expositionis non est publica; et hujusmodi consuetudini favet Decretum 7 Maji 1746 (n. 2390, ad 4, antiq. 4181, ad 9): quando autem expositum foret, majori cum solemnitate, eadem fere ratione quam in Precibus XL Horarum, aut in perpetua Adoratione, aut in similibus, ex. gr., per totum mane ad Altare principale, talis consuetudo celebrandi Missas de Requiem certo non posset probari.

ARTICULUS IX

DE OBLIGATIONE DICENDI MISSAS DE « REQUIEM »

Q. 381. An Sacerdos, ratione foundationis, vel accepti stipendii obligatus ad Missas pro Defunctis celebrandum, tenetur celebrare Missas de Requiem, vel an obligationi satisfacit dicendo Missam Officio Divino quod recitavit conformem?

R. Prænotatur, quod hic agitur tantum de Missis privatis, seu quotidianis pro Defunctis; non autem de Missis privilegiatis in diebus solemnibus Defunctorum, quæ necessario de Requiem celebrari debent.

Ad tria attendendum est, ut determinari valeat quæ sit Celebrantis obligatio: 1º an ritus Officii diei permittat celebrare Missas de Requiem; 2º an ille qui stipendium dedit, expresse roget dici Missam de Requiem; 3º an Missa celebranda sit in Altari privilegiato.

I. In Festis Duplicibus, aliisque diebus quibus Missæ quotidianæ de Requiem prohibentur, si ex petentium

De Oblig. dicendi Missas de « Requiem » (Q. 381) 371
aut benefactorum desiderio, aut præscripto Missa tali determinato die pro Defunctis celebranda sit, minime transferri debet, sed satisfacit Celebrans dicendo Missam conformem Officio diei cum applicatione Sacrificii pro Defunctis, sive Missam petens rogaverit dici Missam de Requiem, sive non, « ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit », ut dicit S. Rituum Congregatio in Decreto generali 5 Augusti 1662 (n. 1238, antiq. 2178). Et si Missa celebranda est in Altari privilegiato, etiam satisfacit.

Similiter quando Sacerdoti offeruntur stipendia pro numerosis Missis pro defuncto, vel defuncta, vel defunctis, intra tempus ordinarie concessum dicendis, satisfacit celebrando in hujusmodi diebus Missas Officio diei conformes, cum applicatione Sacrificii pro Defunctis.

II. In diebus quibus per Rubricas licet celebrare Missam de Requiem, Celebrans, obligatus ad Missam pro uno, vel pro pluribus Defunctis, satisfacit quidem celebrando Missam Officio conformem; consultius tamen est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam de Requiem; ast si ille qui stipendium dedit aut reliquit, expresse rogaverit ut Missa de Requiem celebretur, hæc omnino de Requiem celebrari debet; quia expressa voluntas testatorum vel postulantium, modo sit rationabilis, et adimpleri possit, omnino adimpleri debet.

Juvat hic describere duo quæ S. Rituum Congregatio hac super re dedit Decreta.

1. Ad dubium: « Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut votivam in honorem alicujus Mysterii, Beatæ Mariæ Virginis, vel Sancti; satisfacitne obligationi suæ Missam faciendi Officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam? » S. Congregatio rescribere rata est: « Affirmative; sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam vel de Requite, vel votivam. » (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 4.)

2. Ad dubium: « Sacerdos obligatus, sive ex fundatione sive ex stipendio accepto, ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, satisfacitne suæ obligationi, applicando pro iisdem defunctis Missam Officio diei conformem in Semidupli-

372 (Q. 381) De Oblig. dicendi Missas de « Requiem »
cibus aliisque diebus Missas quotidianas de Requite permittentibus, vel tenetur dictis diebus celebrare Missam de Requie, etiamsi fundator, vel dans eleemosynam, Missam de Requie expresse non postulaverit, nec Missa celebranda sit in Altari privilegiato? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Detur Decretum N. 4031, *Plurium Diocesum*, 13 Junii 1899 ad IV. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 15; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 356.)

III. Si pro Defuncto Missa est celebranda in Altari privilegiato, necessario requiritur Missam dici de *Requiem*, ad lucranda Indulgentiam Altaris privilegiati, iis diebus quibus Missa de *Requiem* permittitur. (Cfr. Theologia ad usum Seminarii Mechliniensis, *Tractatus de Indulgentiis*, n. 15, Q. 4.)

Item Sacerdos qui obtinuit Indultum personale Altaris privilegiati, aut qui, facto heroico pro animabus Defunctorum actu, gaudet quotidie privilegio Altaris personali, debet diebus non impeditis celebrare Missam de *Requiem*. (Decret. S. Congregationis Indulgentiarum, 24 Julii 1885.)

Excipitur tamen casus Missæ celebratæ in Altari privilegiato, conformis Officio Festi semiduplicis, aut ejusmodi quod Missas de *Requiem* non prohibet, ratione Expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis Ecclesiæ (in Rogationibus), vel alterius solemnitatis; per quam lucrari potest Indulgentia, ac si celebraretur Missa de *Requiem*. (Decret. S. Congregationis Indulgentiarum, 29 Februarii-11 Aprilis 1864, n. 404.)

NOTA. I. Licet vero per Missam diei in quibusdam casibus, ut supra dictum fuit, satisfiat obligationi Missæ pro Defunctis, per se tamen Missa de *Requiem* Defunctis magis prodest quam Missa de die, juxta illud S. Thomæ: « Ex parte Sacrificii Missa æqualiter prodest Defuncto, de quocumque dicatur; ex parte tamen Orationum, magis prodest illa, in qua sunt Orationes ad hoc determinatæ. » (In 4, Dist. 45, Quæst. I, Art. 3, Q. 1 ad 1.)

NOTA. II. Placeat nosse sequens rescriptum S. Rituum Congregationis relative ad casum quo Missa pro defunctis non celebretur de *Requiem*. Ad dubium: « An diebus quibus prohibetur Missa de Requie, possit celebrari Missa de Festo currenti pro anima alicujus de-

De Missa in aliena Ecclesia (Q. 382, 383) 373

functi, sed dato prius lugubri signo pro eadem Missa cum ære campano? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Negative, quoad sonitum lugubrem æris campani. » (Decret. 18 Martii 1899, n. 4015, ad 7.)

Q. 382. *An Sacerdos per Missam de Requiem satisfacit obligationi, dum nescit utrum intentio fuerit pro vivis, an pro defunctis?*

R. Non raro fideles disponunt, post mortem dicendas esse Missas ad **intentionem dantis**; et nescitur utrum intentio fuerit pro vivis, an pro defunctis. Referatur Decretum S. Rituum Congregationis (in una Hierosolymitana, 29 Novembris 1856), quod in Collectione authentica Decretorum non invenitur quidem, revera tamen existit. (Schober, *S. Alphonsi Liber de Cæremoniis Missæ*, Appendix V, Caput II, n. 6.) Sequentis est tenoris: « An liceat Sacerdotibus celebrare Missam de *Requiem*, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quænam sit illius intentio, pro defunctis, necne? » S. Rituum Congregatio respondit: « Affirmative. » (Cfr. Q. 322, 7°.)

APPENDIX

DE CONFORMITATE MISSÆ CUM OFFICIO, CUM DICITUR MISSA IN ECCLESIA ALIENA

Q. 383. *Explica quomodo Sacerdos, qui persolvit Officium Kalendarium sui proprii, nonnumquam rationem habere debet Officii proprii occurrentis in loco ad quem accedit pro Missæ celebratione.*

R. In Sectione II hujus Tractatus expositæ fuerunt regulæ pro Missis quæ Officio quod Sacerdos persolvit non sunt conformes (cfr. Q. 17), vel ex eo quod Missæ celebrandæ sunt de *Requiem*, pro defunctis (cfr. Caput II); vel ex eo quod, etsi non sint de *Requiem*, non correspondent Horis Canonicis a Sacerdote qui eas celebrat recitatis; idque ex voto aut debito ipsius Sacerdotis, vel ex voto aut voluntate ejus qui hujus-

modi Missas Officio non correspondentes petit aut exigit (cfr. Caput I). Harum Missarum Officio non conformium, de *Requiem*, aut, ut vocantur, Votivarum, præscriptæ fuerunt regulæ, ratione quodammodo non habita Ecclesiæ in qua Sacerdos ipsas celebrat, vel potius, supposito quod Sacerdos eas in sua propria Ecclesia aut simili celebrat.

Sed et non raro Sacerdos non poterit quidem dicere Missam Officio quod recitavit, cujuscumque sit ritus, correspondentem; scilicet, cum celebrat Missam in aliqua Ecclesia, in qua eodem die reperitur præscriptum Officium diversum ab eo quod ipse jam, suo proprio Directorio seu Calendario præscriptum, persolvit.

Nemo nescit, pluribus per annum diebus diversa assignari Officia et Festa in Calendariis diversarum Diocesium, quia in una Diocesi celebrantur quædam Festa Sanctorum particularia, quæ in alterius Diocesis Calendario adscripta non sunt; imo, in una eademque Diocesi, non paucis per annum diebus diversa esse Kalendaria diversarum Ecclesiarum particularium, propter celebrationem Sanctorum Patronorum in locis, et Titulorum Ecclesiarum in Ecclesiis; unde in vicinis Ecclesiis diversa aliquando occurrunt Officia. Insuper, in civitatibus in quibus Regularium exstant Ecclesiæ, non pauci Sacerdotes Sæculares in his celebrant Missas, et in pluribus earum sæpe sæpius celebrantur Festa diversa ab iis de quibus Sæculares dixerunt Officium.

Ex sequentibus paucis exemplis hoc statim patebit:

Cum in Archidiocesi Mechliniensi, 1 Julii, celebratur Festum diocesanum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, duplex 1 classis, in omnibus vicinis Belgii Diocesis, Gandavensi, Tornacensi, Namurcensi, Leodiensi, eodem die assignatur Officium duplex de die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Deinde, in ipsa Archidiocesi Mechliniensi plura sunt loca, plures sunt Ecclesiæ, quæ Patronos vel Titulares habent: S. Amandum, Episcopum et Confessorem, 6 Februarii; — S. Lambertum, Episcopum et Martyrem, 17 Septembris; — S. Martinum, Episcopum et Confessorem, 11 Novembris; — S. Nicolaum, Episcopum et Confessorem, 6 Decembris.

Horum Sanctorum Festa cum ibi sint celebranda ritu duplici 1 classis cum Octava, eorum dies Octavæ, ritus duplicis, occurrent in diebus, quibus in Calendario Diocetano alia Festa

sunt assignata et celebrantur; nempe: in die Octava S. Amandi, 13 Februarii, assignatur in Calendario Diocetano Festum semiduplex S. Raymundi de Pennafort, Confessoris; — in die Octava S. Lamberti, 24 Septembris, celebratur in Diocesi Festum duplex majus B. Mariæ V. de Mercede; — in die Octava S. Martini, 18 Novembris, occurrit Festum duplex majus Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli; — in die Octava S. Nicolai, 13 Decembris, adscribitur Festum duplex S. Lucie, Virginis et Martyris. — In his casibus jam in diversis Ecclesiis diversa dicuntur Officia, et diversæ celebrantur Missæ.

Surgit statim quæstio, an, et quæ sit habenda ratio diversi hujusmodi Officii, a Sacerdote qui de uno persolvit Officium, et Missam celebrat in Ecclesia ubi de altero agitur, seu in ECCLESIA ALIENA, qualiter in casu vocatur.

Q. 384. *Quid docet Rubrica Missalis Romani de conformitate Missæ cum Officio? Quomodo Rubrica hæc fuit usque ad annum 1895 intellecta?*

R. In Rubricis Generalibus Missalis Romani legitur (in initio ante Tit. I): « Missa quotidie dicitur secundum Ordinem Officii »; et alio loco: « Quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat » (Tit. IV, n. 3). (Cfr. QQ. 15, 16.) Ast, ex præcedenti Quæstione jam intelligitur, quod, si Sacerdos Missam celebrat in sua cui adscriptus est Ecclesia, conformitas Missæ cum Officio profecto haberi potest; sed si accedit Missam celebraturus ad aliam Ecclesiam cui adscriptus non est, aut si nulli Ecclesiæ proprie est adscriptus, fieri potest ut ibi aliud Officium occurrat cum sua correspondenti Missa; cum quonam Officio in casu convenire debeat Missa, nempe, an cum Officio Celebrantis Missam, an vero cum Officio loci in quo Missam celebrat, Rubricæ silent, fortasse quia supponunt semper idem esse Officium Celebrantis, et loci in quo celebrat, seu ipsum Ecclesiæ in qua celebrat esse adscriptum.

Propositis hac super re dubiis respondere coacta, S. Rituum Congregatio Decreta plura evulgavit, quæ semper, usque ad annum 1895, exhibuere normam: Missam conformem esse debere Officio Celebrantis, nisi, aut Officii loci solemnitas, aut coloris Missæ discrimen, aut ritus Officii qualitas, præscriberent, vel per-

376 (Q. 385) De Missa in aliena Ecclesia

mitterent conformitatem Missæ cum Officio loci in quo celebratur.

Incommoda plura ex regula Decretorum derivabant, vel ex privilegiis pluribus Ecclesiis, præsertim Regularium, concessis; vel ex crescenti numero Missarum novarum, tum Sanctorum, tum Beatorum; vel ex eo quod, cum tanta hodieum commeandi ac itinerum suscipiendorum et perficiendorum detur facilitas, tot jam accedant ad celebrandum Ecclesias Sacerdotes, qui eis adscripti non sunt, et diversum ab eis Officium dixerunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 16-26.)

Q. 385. Refer Decretum S. Rituum Congregationis, 9 Decembris 1895, de conformitate Missæ cum Officio.

R. Ad omnes difficultates evellendas, certasque normas tradendas, et ad uniformitatem obtinendam, pro sua sapientia, S. Rituum Congregatio censuit antiquum mutare principium, aliudque statuere, quod nunc ab omnibus Sacerdotibus utriusque Cleri, Sæcularis et Regularis, est tenendum. Etenim, hac super re, sequentem generalem regulam ab omnibus servandam constituit:

« Omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem Ecclesiæ vel Oratorii conformes, sive illæ in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. »

« Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus præfatas Missas Rubricæ Missalis Romani, vel S. Rituum Congregationis Decreta prohibent. Die 9 Julii 1895. »

« Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacræ Congregationis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in

De Missa in aliena Ecclesia (Q. 386) 377

contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 9 mensis Decembris anno 1895. » (Decret. n. 3862.)

Quod si hoc Decreto anteriora Decreta penitus sunt abrogata, doctrina itidem quæcumque, ab auctoribus hactenus tradita a fortiori non est retinenda, sed velut antiquata penitus est relinquenda.

Gaudendum indubie est, quod hac certa norma, in præsentem Decreto exhibita, unusquisque Sacerdos in posterum optime, atque sine ulla difficultate poterit in aliena Ecclesia aut Oratorio Missam ordinare et celebrare.

Q. 386. Quenam sunt Ecclesiæ, vel Oratoria, in quibus a Sacerdotibus ibi celebrantibus Missa dici debet conformis Officio loci?

R. I. Ecclesias primum recenset Decretum 9 Decembris 1895; quid sint, et quæ sint, in Jure Canonico traditur; in nostra Diœcesi intelliguntur: omnes Ecclesiæ parochiales, in eis enim Ordo Officiorum pro Diœcesi, seu Directorium Diœcesanum observatur; et Ecclesiæ Regularium utriusque sexus, in quibus observatur Ordo Officiorum proprius, seu Kalendarium proprium.

Itaque in Ecclesiis quibuscumque, sintve sæculares, sintve Regularium, omnes Sacerdotes in eis celebrantes, quicumque ipsi sint, tenentur Missam dicere conformem Officio Ecclesiæ in qua celebrant.

NOTA. Nonnullæ Ecclesiæ Religiosarum Familiarum simul sunt parochiales; aliæ vero Ecclesiæ parochiales ab Ordinario aliquando commissæ sunt personis privatis ad Religiosam Familiam pertinentibus. — Pro utroque casu dubia sequentia proposita S. Rituum Congregationi referri possunt, nimirum:

a) « In Ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur ne sequi Kalendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative. »

b) « Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ,

etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissæ sunt ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. »

(Decret. 15 Decembris 1899, n. 4051, ad 2 et 3.)

II. Decretum recenset etiam Oratoria publica ; ea sunt « quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Januarii 1899, n. 4007.)

In his Oratoriis publicis, absque dubio, ab omnibus Sacerdotibus ibi celebrantibus, debet Missa dici conformis Officio loci ; nempe Officio Diocesis, pro Oratoriis quæ non sunt Regularium proprio Calendario gaudentium (nisi particulare Officium Patroni vel Titularis, in ipsis servandum occurrat) ; et Officio Ordinis, pro Oratoriis Regularium utriusque sexus, qui proprium Calendarium habent.

III. Quid dicendum est de Oratoriis semipublicis ? Hæc ea sunt, « quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt ; commodo tamen, non Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendæ destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Cappellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione, non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. » (Decret. 23 Januarii 1899 supra citatum.)

NOTA. S. Rituum Congregatio, volens postea hanc declarationem illustrare, rescribendum esse censuit : « Particulam Decreti generalis super Oratoriis semipublicis, n. 4007, diei 23 Januarii 1899 : atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam, intelligi posse de quibuscumque fidelibus, qui assentiente Domino loci, et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad prædicta Oratoria, pro audienda Missa etiam in adimplementum præcepti festivi. » (Decret. 3 Augusti 1901. — Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 1, et Animadversiones super relato Decreto, ibidem pag. 2-5.)

Oratoria semipublica ad legem communem, quæ ex Decreto 9 Decembris 1895 constituitur, teneri, et Missas, quæ in ipsis celebrantur, debere esse conformes Officio Calendarii quod in his Oratoriis servatur, jam certum et indubium est, ex Decreto S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896 (n. 3910), quo statuitur, quod Missæ quæ celebrantur in Cappellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum, debent respondere Calendario loci, non vero Calendario Celebrantis ; dummodo agatur de Cappella principali Communitatis, quæ instar Oratorii publici habenda est ad effectum Decreti 9 Decembris 1895.

Kalendarium loci, nisi quæstio sit de Oratoriis propriis Ordinum et Congregationum Regularium, quæ proprium Kalendarium habent, generatim intelligitur Kalendarium Diocesis in qua Oratorium aliquod existat, et quo pro Officiis et Missis Oratorium illud uti debet.

IV. Remanent Oratoria privata, qualia « stricto sensu dicuntur Oratoria, quæ in privatis ædibus, in commo- dum alicujus personæ, vel familiæ, ex Indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. » (Decret. idem 23 Januarii 1899.)

De Oratoriis privatis nihil dicit Decretum 9 Decembris 1895 ; et in eis Missa semper convenire debet cum Officio Celebrantis. Idem dicendum est de Oratorio non principali Communitatis Religiosæ.

Q. 387. *Quinam sunt Sacerdotes, qui se conformare debent Officio Ecclesiæ, vel Oratorii publici aut semipublici, in quibus celebrant ?*

R. Decretum 9 Decembris 1895 universos respicit